PETRI HERMES

ORATIO METRICA

In laudem

C. M. SCÆVOLÆ.

Habita die 8 Octob. 1670.

In Choro Templi majoris.



ROTERODAMI,

Typis ARNOLDI LEERS, Bibliopolæ.

ANNO CIↄ Iↄ C LXX.

Clariſsimis & Venerandis Viris

ABRAHAMO & ISAACO HERMES, Patruis & Tutoribus, illi apud Moſa-Trajectinos Mercatori; huic in trans Moſanâ Dalhemii Regione Prætori.

CASPARO BRUYN Avunculo Mercatori apud Amſtelodamenſes ſolerti.

THEODORO van den HOEVEL Affini JC^to^ Trajecti ad Moſam ex Scabino, &c. ſtudiorum meorum fautoribus ſummis, omni veneratione proſequendis inſcribit hanc orationem

PETRUS HERMES
Author.

POETICA
C. M. SCÆVOLÆ
LAUDATIO.

AFFINIS REVERENDE, Ampliſsimi conſultiſsimique D. D. Scholæ Eraſmianæ Curatores; Clariſsimi Doctores; reverendi Eccleſiæ Paſtores; D. Rector, & Præceptores colendi; bonarum artium ſtudioſa juventus; & quotquot porro adeſtis auditores humaniſſimi.

Ex humili tenues ſuccrevit Roma per ortus;
Vilia quæque ſuis habuit primordia cunis,
Ad majora gradum fecit labentibus annis,
Agreſteſque animos poſtquam exuit, altius ivit
Senſim per varios audax aſſurgere caſus,
Pugnacique manu varias ſibi ſubdidit oras,
Vt domitis late populis opibuſque ſuperba
Præſcriptis totum frænaret legibus orbem.
Nec tamen immenſos tantum fortuna labores

Extulit in famæ lucem; ſed & addita virtus
Imperium terris, animos æquavit Olympo.
Illa, favens veluti populi pugnacis alumna,
Heroas genuit Martis de ſemine multos;
Poſteritas quos ſera omni mirabitur ævo.
Sed quamquam repetat lector ſtudioſus ab omni
Tempore geſtorum ſeriem, quæ fama celebrat,
Non ullum inveniet, Muti fortiſſime, laudes
Quod poſſit ſuperare tuas: conſtantia ſpirans
Indomitum quiddam juſtis id fecit in armis.
Hic virtute Heros, Romano & ſanguine clarus,
Et queis implevit factis audacibus orbem,
Nunc mihi carmen erit: quamvis dare juſta merenti
Non potero, ſaltem tenui memorabile nomen
Magnanimique viri verſu complectar honores.
Cum Porſenna ferox Regem auxiliaribus armis
Aſſereret pulſum, violento percitus æſtu
Invidiæ, tentans Romano reddere ſceptro,
Admorat valide Tiberinis caſtra fluentis.
Hinc in rura ruit miſeris viduata colonis,
Obvia quæque metens ferrô vaſtabat & igni,
Vndique collatis dum cinxit mœnia ſignis.
Obſidio diuturna famem jam fecerat ægram,
Atque abſumpta ſalus, nec ſpes opis ulla dabatur;
Vndique terribilis trepidantia pectora pulſat
Cuncta pavor, miſeris repletur Roma querelis.

Dum

Dum mæſtus trepidat populus, dum templa Senatus
Triſtis adit, dat thura focis, validamque Deorum
Orat opem, miſeræque urbi ſolatia poſcit
Heros noſter adit Proceres, ac talia ſupplex
Dicta dedit. Sparſas equitum peditumque cohortes
Conſpicio in latis vaſtantes pabula campis:
Nos vero reſides, & inertia corda latemus
Mœnibus abſtruſi: totis dominatur in agris
Pro libitu Hetruſcus, quis fortis talia ferret?
Sed quoniam junctas claudunt hoſtilia vires
Robora, ſolus ego meditor certamina, ſolus
Si audacem fortuna juvet, ſi Numina noſtris
Auſibus aſpirent, potero ſuccurrere Romæ;
Vindex Tarquinii his manibus Porſenna peribit.
Oranti, Proceres, veniam concedite eundi
Agmen in Hetruſcum, ſed non ut transfuga flumen
Trajiciam, patriæ tam fœdo crimine probrum,
Omnibus inferni diris monſtriſque piandum.
Effervent aliæ juvenili in pectore flammæ,
Obſeſſæ urit amor patriæ, me impellit ad auſus
Gloria præſtantes, Mutius ſic ibit in hoſtem,
Bellatore ſalus privato ut publica conſtet:
Vos modo (ſi precibus locus eſt) concedite Patres.
Hic finis fandi: molimina plena probandæ
Virtutis ſtimulat laudanti voce Senatus,

Accenditque ignes. Nullo comitante ſodali
Tendit ad Hetruſcos, & ſeſe miſcuit hoſti
Mutius, & caſtris Porſennæ haud notus inerrat,
Intrepidoque animo petiit tentoria Regis.
Intrat, & ut geminos parili ſplendeſcere cultu
Cernit purpureo, dubitat Porſenna quis eſſet,
Atque diu ignorans ſtetit in quem dirigat ictus:
Prodigus ipſe ſui tandem, vultuque feroci
Proſilit, & ſcribam pro Rege obtruncat, & enſem
Effuſo geſtans maculatum ſanguine, turmas
Per medias currit, ſtipendia forte petentes.
Dum fugit, arripitur, deductuſque ante tribunal
Sic ait, ignavi non prodens ſigna timoris.
Rex, ſi noſſe cupis primæ incunabula vitæ,
Sum civis Romanus ego; nec nomine tanto
Indignum aggreſſus facinus, te tollere ferro
Hoc ſtudui, cœptis cur Dî voluiſtis iniqui
Ludere fidentem dextram? cur abnuis æther?
Sed quamvis nunc obſtiterint, ſociata ſtruendas
Pectora in inſidias, licitas atque hoſtibus artes,
Securi poterunt tranſcendere limina Regis.
Sic non effugies fatum, licet abſtulit error
Hac te à cæde mihi. Totis cuſtodia caſtris
Non ſat tuta tibi: Ter centum evadere poſſes
Romanos juvenes? in limine ſemper habebis
E conjuratis; noſtro te poſcimus enſi,

Regiaque

Regiaque infeſto properatur victima ferro:
Non placuit vilis plebejo è ſanguine cædes:
Te te tela petent. alii infelicibus auſis
Succedent; fatum tibi cunctis imminet horis.
Nos ferro flammâque petis, nos clade protervus
Preſſiſti, gaudes tot noſtræ luctibus urbis,
Non tantum, mihi crede, nefas patientur inultum.
Mox aderit vindex, qui te proſternat, in ipſis
Fortiter exoſi meditatus funera caſtris.
Exemplo poteris tali cognoſcere, quanta
Muniat infractas nobis conſtantia mentes.
Hic focus, atque ignis ſacris exſtructus in aris
Teſtis erit, Latiæ robur mirare juventæ;
En ſolvat pœnas, Dominum quæ dextra fefellit,
Nec patriæ favit; perdendam hanc hauriat ignis.
O animi robur! non vultu ſigna doloris
Ulla dedit, flammaſque tulit ceu ſenſus abeſſet.
Horret & obſtupuit rerum novitate Tyrannus,
Abſtraxitque Heroa focis, ac talia fatur.
O cui priſca parem virtute haud protulit ætas,
Quemque hoſtem proprii ſenſerunt corporis artus,
Ex me promeritas ne expectes judice pœnas;
In noſtram quamvis cædem tua tela pararis,
Invenit veniam virtus; ad mœnia tende
Incolumis, macte eximiis his dotibus eſto.
Armatos ſic formidans Porſenna Quirites

Prætulit

Prætulit infeſto ſocialia fœdera bello.
Carmine Mæonio laudetur Græcia victrix,
Expugnata cui vix denos Troja per annos
Succubuit. Cum mille nihil valuere carinæ,
Succeſſit Marti infauſto fallacia felix,
Ignave & furtis deluſus concidit hoſtis.
Præbuerant exempla viro, qui in limine pontis,
Haud animæ parcus, denſis obſiſtere turmis
Suſtinuit, terræ tactus natalis amore;
Quoſque jubet brevitas involvere nube ſilenti,
Ne nimium laxis exultet carmen habenis.
Hi totidem ad laudes ſtimuli. Nam Scævola famæ
Æmulus, haud animam tantis offerre periclis
Sponte ſua dubitans, & apertis viribus uſus
Aggreditur facinus memorabile, ſera Nepotum
Poſteritas fieri quod vix potuiſſe putabit;
Dum, patriæ clypeus, pulchram per funera mortem
Mavult, quam Latio Tuſcum inſultare Tyrannum.
Felix, quæ genuit civem te patria, felix
Roma, ſui miſeris rebus te nacta ſalutem.
Illa quidem gravium cumulis oppreſſa malorum,
Incluſum ſævo populum dum ſpectat ab hoſte;
Poſt devaſtatas ſegetes, cum nulla pateret
Per fluvium in pelagi fluctus via tuta carinis,
Nec dimittendis, quæ ferrent pabula, plauſtris;
Non tamen infeſti cecidit ſub pondere belli.

Ergo

Ergo per obſeſſos homines, dum ſævit atroci
Clade fames, majuſque malum fera bella minantur,
Fœtaque tempeſtas luctus ſe effudit in urbem,
Et facies cunctis ſe oſtendit lurida vicis,
Vt jam deficerent miſeri ſolatia civis;
Quam lætum, Muti, jubar es tam tempore triſti,
Rebus & afflictis paſſim! nam luce repente
Fulgoris diſcuſſa tui fugêre per auras
Nubila curarum, verſique in gaudia luctus,
Romaque ab ærumnis lætum caput extulit altis.
Adde quod in dubio caſu cum mordet egeſtas,
Qua ſtimulante, nihil firmant munimina valli
Vrbes, præfixis quæque horrent mœnia pinnis,
Quicquid & oppoſitos induſtria ſtruxit in hoſtes;
Quæ proſternit humi, quod jacti pondere ſaxi
Non aries poterat, nec ſævi machina belli;
Inter languentes oritur diſcordia cives
Sæpius, & trahitur ſtudia in contraria vulgus.
Hoſtibus hi malunt veſani pandere portas,
Et famulas præbere manus, & colla catenis,
Quam miſero duroque famis ſuccumbere telo:
Aſt alium pugnare juvat, patriæque ſuperſtes
Non cupit eſſe; fames ſic miſcet cuncta tumultu,
Languenteſque malis implet ſerpentibus urbes.
Scævola dum ſequitur, quo virtus raptat in hoſtem,
Romaque vindiciis erat inſtauranda paratis,

Non tantum officio eſt civis defunctus honeſti ;
Sed ſibi materiam victura in ſecula famæ
Struxit, non tantum dejectâ mole malorum,
Sed libertati vigilat quia providus ultor,
Vincula ſervitii non gnarus ferre pudendi ;
Tarquinius ſi ſceptra redux geſtaret, & urbem
Cogeret in ſævas, populorum tormina, leges.
Aurea ſic pacis jam deſperata reduxit
Tempora, templa Diis, pulſis ſua rura colonis
Reddidit, & quondam captivæ pilea genti.
Nam pene exitio gnarus, quid dextra Quiritum
Auderet, Porſenna ſuo, metuenſque probatæ
Virtuti plures non iſtâ dote ſecundos
Finiit oblato Romanis fœdere bellum,
Atque ſuas lætâ deduxit ab urbe phalanges.
Maxima pars hominum ſtudio flagrante capeſſit
Audacter ſpeculante animo molimina vaſta,
Abſenteſque metus, nec viſa pericula ſpernit,
Aſt ubi tentantis ſe animo diſcrimina pandunt,
Non bene perſpectas labefacta audacia vires
Deſerit, eventus dubii cum terret imago
Clarior, & rebus manus eſt admota gerendis.
Hos turpes animi motus, gelidumque timorem,
Pectoris imbellis non novit Scævola ſignum :
Qualem propoſito ſeſe firmavit in ipſo,
Poſtquam prima viro ſedit ſententia, ductu

Occulto

Occulto genii, quem patria fortibus afflat,
Talem deſeruit titubans conſtantia nuſquam.
Non flexere minæ, non pœna parata, ſed omnis
Tam bene munito diffugit pectore terror,
Incuſſitque metum, qui debuit ipſe timere.
Quæ tibi digna ſatis, Muti, pro munere tanto
Præmia Roma dedit magnis erepta periclis,
Vidit quæque ſuos in libertate Quirites,
Non ad ſanguineas leges trepidare Superbi?
Vix æquant partem meritorum Mutia prata.
Plura petit virtus, & quæ conſtantia magnis
Se auſibus explicuit, nullo quatienda timore.
Impar honos gratuſque tibi, penſatur abunde
Hiſtoriæ curis; quæ juſtas ſedula laudes
Accinit, & longum calamo diffundit in ævum,
Seraque poſteritas geſtis applaudere rebus
Perget, temporibus merces ſacrata futuris
Neſciet occiduum decus. Et cum ſæva vetuſtas
Triſtibus immerget Regum monimenta ruinis,
Creſcet laude recens tibi in omnia ſecula nomen.

Habetis A.H. Scholaſticæ verſificationis ſpecimen, per annos complures publice hoc loco non exhibitum, & forte nunquam; ſi nonnullos audimus, qui naſcentis ſcholæ memores ex alto repetunt elapſum tempus. Apud aliquot è vicinis mos obtinuit etiam

in hoc exercitationis genere probandi Curatoribus ſuis profectus in pangendis carminibus.

Ita deſuetudo hic pridem dominata dejeciſſe hoc ſuggeſtu poëſin videtur. Hinc natus in commilitonum animis torpor fecit, ut ſtudium poëticum ignave tractaretur: cum ad illud reſtrinxiſſe videantur verba Martialis

Turpe eſt difficiles habere nugas.

Alii, cum vulgare illud inculcari audiunt, Poëtam naſci, nihil relictum putant arti, quo juvetur ingenium comparatis inde præſidiis: ſed hos prorſus ignaros judico eorum, quæ ſcitiſſime canit Horatius

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite venâ,
Nec rude quid proſit video ingenium. Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Alii denique erectioris animi, nec infeliciter poëtice declamaturi, ſi experiendo vires ſuas noſſent, corrumpuntur malo aliorum exemplo, quorum inſiſtentes veſtigiis, ſolutam Orationem numeris adſtrictâ, in con-

conſuetudinem ſcilicet non peccaturi, præferunt; aut neſcio qua difficultate territi ſpecimen Poëtici tirocinii in lucem producere verentur: quaſi tam honeſtis conatibus, & reconditam indolem excitaturis, non liceret ſperare eam in hoc auditorio æquitatem, quam Oratio ſoluta implorat & invenit.

Nimiam tamen fiduciam nemo mihi objiciat. Nam ſi tenuitatis meæ ignarus, & blanda deluſus imaginatione putaſſem decore tractari à me potuiſſe præſcriptam ab eo, qui ſtudiis noſtris præfuit, metricæ exercitationis materiam; ut hujus auditorii reſponderet exſpectationi, merito amentiæ aut ſtolidæ arrogantiæ incurrerem notam.

Sed Poëticâ deſcriptione & laudatione occupari placuit, cum quia maxime eâ delector, tum quod novitate noſtri conatus ad eam incitari noſtros commilitones velim, atque diligentius expendere, quanta jucunditatem, quæ in poëſi paſſim reperitur, comitetur utilitas.

Plura non addo A. H. ne, quo longius procurrit oratio, eo plus etiam excuſationis requiratur Academiæ

miæ candidato, & qui ſic Scholaſticis valedicit, ut aliquod operæ ſuæ pretium in excolendo ingenio tam proſâ quam carmine videat D. Rector. Veniam dabit veſtra humanitas, & peccatis, quæ irrepſerunt, ignoſcet æquitas.

Dixi

W P. HERMES.